







29

DE VSVRISET
MORA CONCLUSI-
ONES

Quas

1598, 2

DEO DVCENTE ET DOCENTE

autoritate & permisso Nobiliss. & ampliss. ordinis ICtorum in
illustri & florentissima Academia Ienensi.

SVB PATROCINIO

Clarissimi & Consultissimi Viri,

Dn. HIEREMIAE SETSERI

Siles. Philosophiae & V.I.D.

Publici exercitij gratia discutiendas exhibet

BARTHOLOMAEVS GOLTZ

MARCHIVS.

Habebitur disputatio in auditorio ICtorum
rum 28. Octobr. horis
consuetis.



IENAE

Typis Tobiae Steinmanni, Anno 1598.



Circumspecto ac prudenti
viro

Dn. MARCO GOLTZIO in in-
clyta Berlinensium Republica Camerario
dignissimo, parenti suo omni pietate,
obsequio, & reverentia
colendo.

Haec de usuris & mora positiones
in

Debitæ observantiæ symbolum, &
studiorum testimonium

Sacrat.

Bartholomæus Goltz.

R. & Aut.





DE VSVRIS ET
MORA.

T H E S I S



VM vsurarum materia diffusa sit ac perplexa operæ pretium nos facturos arbitramur, si veritatis indagandę gratia, aliquam disquisitionem instituamus.

II.

Et quidem primò verbi cura haberi debet, quia nemo res intelligit, nisi prius verba cognouerit verba enim sunt Instrumenta, quibus res significantur.

III.

Dicitur autē vsura ^{implet} et vsus rei, hoc est inter-
vsurij ex ære alieno, quod quis aliquo tempore vt su-
um vsurpauit, æquabilis ac congrua compensatio (a)
& id, quod pro vsu rei ab vtente capitur quasi pecu-
nia locata sit, eiusque locationis nomine merces (b)
accipiatur. arg. l. 23, de pign. act. l. 42. §. 2. solut. matrim. l. 29.
§. 2. de edilit. Ed. (b) l. 58. §. 6. ad SC. Trebell. l. 60. pro soc. l. 7. §. 4.
de admin. tut.

IV.

Species eius duæ sunt, quarum altera fœnus dici-
tur, altera generis nomen retinet, & vsura simpliciter
appellatur.

V.

Fœnus est ad sortem creditam: (a) Vsura ad

A 3

quan-

quantitatem, ex quacunq; alia causa accessio, (b) quã
creditor à debitore exigit. l. 11. 13. §. 1. hic l. 34. de reb.
cred. (b) l. 17. §. 4. l. 32. §. hic tot. tit. C. de usur. & fruct. leg. l. 121.
de V. S. l. 40. de reb. cred.

VI.

Quin exigere liceat non dubitatur: Suæ enim
utilitati seruire, quod sine alterius iniuria fiat, con-
cessum est, nec repugnante natura l. 1. §. 11. de aqua
pluu. arc.

VII.

Eoq; recedimus à sententia Soti, Couarruiæ
& aliorum, vsuras in se crimen continere statuentium,
eosq; probamus, qui vt vt maximè Canonico, non ta-
men diuino, multò minus naturali, aut ciuili iure
eas prohibitas esse statuunt, nisi in quantum sunt
contra charitatem & prægrauant proximum. Sot. 6.
de iustit. q. 1. art. 1. Couarr. 3. variar. resolut. 1.

VIII.

Offenditur autem dilectio proximi, vel ex par-
te debitoris, cum is pauper & inops est, cui vel tota
fors relinquenda, sperandaq; à Deo tantum abest, vt
vsuræ ab eo exigi possint: vel ex parte Creditoris,
quando is plus iusto vsuras exigit cum debitoris
damno.

IX.

Hinc in infinitas ambages, multosq; errores mul-
ti inciderunt, quibus referti sunt eorum libri, ex eo
quod non respexerunt ad scopum diuinæ legis, quæ
est charitas.

X.

Num verò in bene morata ciuitate vsuras fer-
re & vsurarios, commodum sit, ambiguam habet dis-
quis

quisitionem? nos infectam hominum inter homines societatem considerantes, ciuitatem sine hac proportionis æqualitate consistere non posse indubitanter affirmamus. Reichsabscheidt Anno 1500. in Com. Aug. & Anno 1530. tit. von wücherlichen Contracten.

X I.

Vt enim propter necessitatem commerciorum necessarius fuit vsus nummi: Ita (licet non æquè frequenter) necessarius est vsus eris alieni, consequenter, necessaria aliqua æquabilis dicti vsus compensatio, vt quam commodè queat, haberi possit.

X II.

Ac memorabile est, quod Imp. Leo, Philosophus pietatis ac religionis Christianæ studiosiss. scribit: patrem suum, Basilium Macedonem, foeneratorum Christianis omnibus interdixisse, sed postea sese comperisse, humanam vitam arte illa carere non posse, trientesq; vsuras permisit. Nou. 83.

X III.

Minimè verò Iudæorum, & eius generis foeneratorum strophas probamus, quia nec principibus concessum arbitramur illos recipere, & ad immodicas receptorum exactiones conuiere. *c. quanto 18. c. post miserabilem 2. de vsur.*

X I V.

Emtio quoq; redituum siue censuum annorum, quibusdã in locis frequentissima, an licita sit dubitari solet? Licitam esse, siue in pecunia, siue frumento vel similibus speciebus illi constituentur, existimamus. *Constit. Carol. in Recept. Imper. Anno 30. & 48. sub tit. von wücherlichen Contracten §. pen.*

A 3

Quod

XV.

Quod tamen ita exaudiendum, si reditus iustam pensionem non excedant, quæ est quando fit emptio reddituum ad rationem viginti pro vno floreno, ita ut pensio, spatio viginti annorum sortem æquet, adeo ut non modo non mandentur executioni instrumenta maiores contentia, sed etiam quarta pars sortis, vigore illius Ordinationis in commissum cadat.

XVI.

Pro dote etiam non soluta, quod maritus vsuras, propter onera matrimonij, exigere possit asserimus cum Corn. 3. concl. 212. n. 1. Kircho. com. op. lit. v. verb. Vsuræ pro dote: Idem & praxis in dote viduæ approbat, si heredes sint in mora restituendæ dotis Anton. Tessler. decis. 43.

Hæc de verbo vsuræ, quid sit & an permessa, nunc ad causas, ex quibus quæq; sortis accessio vel Vsuræ debetur.

XVII.

CAUSAE vsurarum sunt Conuentio & Mora: Ex conuentione debentur Vsuræ, cum inter contractantes ita conuenit ut præstentur, id quod fit, vel stipulatione vel pacto.

XVIII.

In bonæ fidei contractibus, conuentio qualis qualis sufficit, siue stipulatio, intercesserit, (a) siue nudum pactum in continenti (b) adhibitum. l. 24. de praes. ver. l. 11. 12. 31. 41. h. t. l. 1. 3. C. cod (b) l. 7. §. 5. de pact. l. 24. in f. l. 26. §. 1. de pos. l. 17. §. 4. h. t. l. initio C. de pact. int. emt. & vend.

In

XIX.

In continenti hoc loco est, cum inchoatur contractus vel actio: Ex intervallo igitur si pactum accedat bonæ fidei contractui, id ad viuras petendas minimè prodest. *argumento l. 7. §. 5. de pact. l. 3. C. h. Paulus 2. sentent. 14. §. 1.*

XX.

Aliud obtinet in contractibus stricti juris, vbi dum stipulatio necessaria, ex pacto deberi non possunt, ne si ex incontinenti quidem adiectum sit. *l. 3. C. b. t. l. 22. C. cod. l. 10. §. 5. de in rem vers. l. 10. §. 4. man. l. 24. de pras. verb. l. 10. §. 22. que in fraud. cred.*

XXI.

Nec verò hoc perpetuum, siquidem in pecunia ciuitatibus & argentariis debita, ex pacto etiam præstantur, idque propter ciuitatum, ne facilè damnum incurrant & argentariorum vtilitatem, quam in contractibus exhibent, multis se immiscentes periculis, vt ingruentibus aliorum necessitatibus medeantur. *l. 30. h. 1. Nouell. 136. cap. 4.*

XXII.

Idem in pecunia traiectitia receptum, propter causam periculi, quod Creditor suscipit, in nautica pecunia, id est, quæ nauiganti creditur. *l. 5. de nauis. fen. l. 7. eod.*

XXIII.

Extra pecuniam numeratam, etiam in frumētī, olei vini & aliarum spetierum debito, omnis accessio ex pacto præstanda venit, quia harum rerum mensura constantium æstimatio perpetua non est, sed pretium subindè mutatur, locis, temporibus varietatem adferentibus. *l. 12. C. h. tit. §. 33. Institut. de act. l. si ea lege C. h. tit.*

Hiscæ

XXIV.

Hiscæ exceptis relinquitur, ex pacto in strictis contractibus usuras exigi non posse: quamvis pacto promissas & solutas, nec repetendas aut in sortem computandas Dd. Seuerus & Anton, rescripserunt.

XXV.

Potest etiam Creditor per retentionem pignoris, eas, de quibus nulla stipulatio interposita est, consequi, si fortè pignus in eam quoque causam obligatum sit. l. 4. vbi Sichard. l. 22. C. h. t. l. 11. §. 3. de pign. act.

Et tantum de prima Usurarum causa, sequitur nunc de Mora:

XXVI.

Ex MORA usuræ debentur in bonæ fidei contractibus. (a) quibus hac in causa æquiparantur legata (b) & fideicommissa: In strictis, quidam ex die litis contestationis opinantur: alij (c) rectius post litem contestatam deberi usuras negant. l. 17. §. 3. & 4. l. 32. §. 2. h. t. l. 2. C. de pos. l. initio C. de pact. int. Em. & vend. (b) l. 34. 39. h. t. tot. t. C. de usur. & fruct. leg. l. 3. C. in quib. caus. in integ. l. 87. §. 1. de leg. 1. (c) l. 1. C. de condict. indeb. l. 10. §. 6. ff. quæ in frau. cred.

XXVII.

Notatur a. mora, frustratoria soluendi vel accipiendi debiti dilatio: vnde apertum redditur, & debitorem & creditorem diuerso respectu moram contrahere: ille si debitum non præstet, hic si oblatum accipere recuset. l. 39. de sol. l. 3. in f. l. 21. h. t.

XXVIII.

Quam debitor in soluendo committit moram, aut ex re fit aut ex persona: (a) hæc ordinaria & regularis ab Interpp. appellatur, illa extraordinaria & irregularis, ideoq; desinit mora fieri finita causa, propter quam hæc mora recipitur. l. 32. h. t. l. 87. §. 1. de leg. 2.

Ex

XXIX.

Ex re fit ipso jure, à solo tempore tardioris solutionis sine interpellatione, vtputa: in causis minorum, in fideicommissarijs libertatibus, Ecclesiæ Fisci: Item si fortè non extet, qui conueniatur, si mala fide res possideatur.

XXX.

An autem re à Venditore tradita, & pretio ab Emptore non soluto, vsuræ ex mora regulari vel irregulari peti debeant, controuertitur ex l. curabit §. C. de act. emti? Ex irregulari tradit communis Dd. Schola, cui lubens calculum adijcimus l. Iulianus §. veniunt de act. emti, 2. C. h. t. & d. l. curabit. Paulus 2. sent. tit. 17. §. 9.

XXXI.

Injurato tamen debitore, cum C. Plautio contra Crauettam, & eo qui se aliquid facturum recepit, id non agnoscimus c. breuī de jureiur.

XXXII.

Ex persona debentur, aut in iudicio aut extra iudicium.

XXXIII.

In iudicio per litis contestationem, ex qua moram fieri dubium non est, cum certius morę ratio cogatur ex tempore litis contestatę, quam ex mota controuersia. l. 1. 2. 4. C. de vsur. legat. l. 1. de petit. hered. l. nemo 82. §. 1. de V. O.

XXXIV.

Extra iudicium per interpellationem, opportuno loco ac tempore factam, quę fieri solet aut expressè, videlicet hominis denunciatione, aut tacitè hoc est dici præteritione. l. 122. §. 3. de V. O. l. 3. in pr. h. t. l. 39. de solut.

B

Ex-

XXXV.

Expresè, siue ipse creditor, siue alius ipsius nomine interpellat, dummodo vera interueniat interpellatio, nec debiti repetendi Instantia remittatur, ut debitor intelligat, interesse creditoris, pecuniam solui.

XXXVI.

Quod si admonitio nuda interuenit, de soluendo, nec Instantia debiti comparet, mora fieri minimè intelligitur (a): quanquam extrajudicialis ad moram inducendam efficax habeatur. (b) quoniam ex eadem mens creditoris potest intelligi. *l. 32. §. non sufficit h. t. l. 2. §. non solum ad SC. Tertijl. (b) l. 32. de usur. l. 23. de V. O. l. 122. §. 3. ff. eod.*

XXXVII.

Imò, & vnicam sufficere, verior est sententia, cum & finis Interpellationis eò collineet, & manifesta textuum assertione hoc muniatur: (a) quamuis ex abundantanti plures fieri (b) posse non negamus. *l. 72. de solut. l. quod te si cert. pet. l. 87. §. I. de leg. 2. l. 32. in pr. h. t. l. 23. 122. §. 5. de V. O. l. 3. §. 1. quod vi aut clam. l. 13. §. 1. de nou. op. nunc. (b) l. 38. de minor. l. 59. §. 1. mand.*

XXXVIII.

Expressa sic interpellatione, ponitur mora: Tacita etiam sufficit, si dies adiecta est solutioni, tunc enim dies interpellat pro creditore, & debitorem in mora constituit, qui, cum sibi termino solutionis consultum voluerit, etiam non interpellatus, facile habet cognoscere, soluendum esse, nec ulteriori opus est admonitione, cum ipso jure committatur mora. *l. 12. C. de contrab. stip. l. 9. h. t. l. 2. C. de iur. emp. h. t. 77. de V. O. l. 22. de reb. cred.*

XXXIX.

In quo nihil diuersitatis est deprehendere, intra tempus, quod solutioni præfinitur à contrahentibus,
&

& ipso jure committitur: & tempus, quod ipsi rei inest ad solutionem; veluti, si ut aliquid fieri convenit, habet illa conventio tempus tacite appositum, quo opus commodè inchoari, & perfici potest. *l. 97. l. 98. l. 124. l. 197. §. 3. de V. O.*

XL.

Nec v. semper interpellatio debitorem in mora constituit: quid enim, si tempus soluendi non effluerit (a)? quid, si ignoret an & quantum solvere debeat (b)? quid si neutrum ignoret, & amicos solutioni adhibendos, debitor bona fide requirat? (c) Certè nemo horum morosus putabitur. *l. 49. §. f. de V. O. (b) l. quadre vbi Don. n. 5. si cert. pet. l. 42. de R. I. l. 4. de pet. hered. (c) l. 21. l. 17. §. 3. b. t.*

XLI.

Idem juris est, si justa absentia impeditus solvere non potuerit, vel si exceptione aliqua tutus sit. *l. 23. b. t. l. 21. cum seq. l. 23. 24. l. 47. b. t. l. 63. de R. I.*

XLII.

Difficultas etiam, cum referat quandam impossibilitatem, quo ad Reum obligatum, quo ad creditorem exigentem, quandam rigiditatem, solet legitimam differendi causam præstare, si tamen ipsemet debitor difficultatem affectarit, vel causam præstiterit, à mora non liberatur. *l. 5. si cert. pet. l. 3. §. 3. de act. empt. l. 47. in pr. de leg. 1. l. 2. §. 3. ff. si quis caut. l. 8. §. f. ad l. Aquil.*

Hæc de mora quam debitor contrahit.

XLIII.

Creditor in mora constituitur, si oblatum accipere recuset. accipe autem oblatum, opportuno tempore & loco, in tantum, ut nulla recusandi causa supersit. *l. 7. de constit. pec. l. 30. 39. l. 72. de solut. l. qui Romæ de V. O. l. 57. 22. C. de contrah. stip.*

B 2

Quid

XLIV.

Quid si debitor non totum obtulerit? Si res presentari possit, representari debet, quò liceat creditori inspicere oblatam; at si perferri nequit ad creditorem, ut saltem verbis offeratur, sufficit.

XLV.

Ponamus, uterque & debitor & creditor moram contrahunt, cui eorum contracta imputabitur? conspirante omnium sententia obtinuit ultimam nocere. *l. 23. §. 1. de arbitr. l. fin. §. f. quorum legat. l. 17. de per. & comm. rei.*

XLVI.

Ad hunc modum committitur mora: commissa varios habet effectus: siquidem omne rei periculum transfert in debitorem, (a) obligationem perpetuat, (b) fructuum & usurarum præstationem (c) inducit. *l. 5. si cert. pet. l. 82. l. 127. de V. O. l. 108. §. 17. l. 39. in fin. l. 47. de leg. 1. l. 16. de const. pec. (b) l. 91. §. 3. de V. O. l. 27. hic (c) l. 32. §. 2. h. t. l. 38. in pr. h. t.*

XLVII.

Quomodo verò promissor teneatur ad omnem rei causam, varijs distinctionibus obruta est disputatio, nos cum Cui, Petr. Costal. quibus accedit Goed. sic concludimus: Ad morosum malefidei debitorem periculum pertinet (a) semper; Bonæ fidei a. debitor, tum demum tenetur, si nullam litigandi habuerit causam: Sin verò habuerit, distinguatur, eadem ñe fati calamitate apud creditorem perire potuerit, & non tenebitur, nec ne, & tenebitur. (b) *argum. l. quod nostrum de usufr. l. subtractus C. de furt. l. f. C. de condict. furt. (b) l. 63. de R. l. l. 11. 24. h. t. l. 14. §. fin. l. 12. in fin. depos.*

XLVIII.

Sic quatenus mora Rei principalis fideiussori noceat,

ceat, mirè variant Interpp. arridet nobis Goed. sententia, moram rei principalis obligationem fidejussoris perpetuare, nō tamen augere, vt in vsuras, vel id q̄ postea accessit aut interest condemnari possit, nisi in omnem causam fidejussisset. l. 49. in pr. et §. 1. l. 91. §. nunc videamus. l. 88. de V. O. l. si à Colono §. 1. de fideiuss.

XLIX.

Facta mora, purgatur deniq; vel voluntate creditoris, qui repetendi debiti instantiam remisit, nouatione in aliam transfudit: (a) vel debitoris opera debitum offerentis, & in offerendo perseuerantis. (b) 32. h. r. l. 29. de V. O. l. 17. de conduct. furt. l. fistichum l. quoties l. 14. 18. de nouat. l. 72. §. 1. de solut. (b) l. 2. de in lus voc.

L.

Eaq; purgatio admittitur in obligationibus puris ad litis vsq; contestationem. (a) Item in stipulatione, cui adiecta est pœna sine die: (b) secus si obligatio diem & pœnam simul habeat. (c) l. 72. §. f. de V. O. l. 17. de const. pec. (b) l. 122. §. 2. de V. O. (c) l. 23. 24. de recep. arb. l. 23. de O. & A. l. 113. junct. l. 77. de V. O.

LI.

Lubet hīc indagare, an longi temporis præstatio causa sit vsurarum? vt puta si quis vsuras pacto fortè promissas, pluribus annis soluerit, an eas in posterum præstare cogatur? præsumtionem obligationis ex tempore promptū est colligere, obligationem inde sumere, juris ratio non admittit: onus autem probandi in debitorem Dd. communiter transferunt. l. 6. h. tit. l. 7. C. eod. l. 28. C. de pact. l. 44. §. placet de O. & A. l. 56. §. qui ita de V. O.

Haëtenus de causis, succedit, vt de quantitate seu modo videamus

LII.

Modus vsurarum, quem variis temporibus variis

um fuisse ex historiis liquet, olim erat centesima, quæ
est quando soluuntur duodecim in annum pro cen-
tum, ut rectè Theoph. & Constantin. Harmenop. defi-
nierunt.

LIII.

Dicitur centesima, non quia centesimo mense
æquat sortem, ut Accursio & alij visum, sed quod for-
tis centesima pars sit menstrua usura.

LIV.

Hanc centesimam in mutuo, sine fraude, omnib9
stipulari licebat (a), supra vero nulli (b), præterquã in
fructibus & traiectitiis pecuniis (c): In bonæ fidei ju-
dicijs, mora facta, usuræ arbitrio judicis, & moribus
regionum (d) constituebantur. *l. 8. C. si cert. pet. l. 3. C. de
usur. rei jud. l. 40. de reb. cred. (b) l. eos vers. in traiectitijs h. t. l. 2. C. de
usur. rei jud. (c) l. olei C. h. t. l. 4. de nau. fœn. (d) l. 1. in pr. l. 37. de usur.
l. 7. §. 10. de administr. tut.*

LV.

Ac licet usura hæc grauis sit, vnde Seneca cente-
simam sanguinolentam appellat, complures tamen, à
fœneratoribus, astutiæ excogitatæ sunt, quibus fraus
illis legibus fieret, quo factum, ut centesima paulatim
creuerit.

Atq; hæc quidem antiqui juris ratio fuit.

LVI.

Postea ex constitutione Iustiniana, legitimus
modus, pro personarum conditiõe, & qualitate, insti-
tutus est, quo illustribus Trientales, argentariis & mer-
catoribus bessales, cæteris omnibus semisses sunt
permissæ, sublata centesima, quæ tamen quibusdam
casibus & hodiè debetur. *l. 26. C. h. t.*

LVII.

In pecunia enim traiectitia, quia creditoris est
peris

periculum debiti, dum transfertur pecunia, centesimam
stipulari permittatur, nam ipsi perit res non debitori.
l. eos §. 1. vers. in tractatibus C. b. 1.

LIX.

Item in frugibus mutuo datis, in quibus grauior-
es, quam in ceteris, usurę debentur, propter incerti-
pretij rationem istarum rerum quę mutuo dantur. *l.*
eos §. 1. l. 16. 17. 23. C. b. 1. Nouell. 32. 33. 100.

LIX.

Sic & rei iudicatę: ut si quis post rem iudicatam,
communemue domum resectam, ultra quadimestres
inducias moram neçtit, centesimę usurę esse possunt,
propter autoritatem. *l. 1. 2. 3. C. de usur. rei iud. l. 52. §.*
18. pro Soc. l. 4. C. de edif. priv.

LX.

Ecclesia autem, nunquam soluit alias quam qua-
drantes, hoc est, in centenos maximum annuos tres.
Nouell. 7. Auth. hoc jure C. de SS. Eccl.

LXI.

Agricolę, si pecuniam acceperint, trientem, hoc
est in centenos quatuor (a): fructus, pro modio octa-
uam partem modij soluere; nec amplius (b) tenentur.
Nou. 130. 32. 34. (b) Nou. 32. 33. 34.

LXII.

Circa dicta dubium occurrit: An jus traiecitie
pecunię, quo ad centesimam, possit locum habere,
etiam in ijs causis, in quibus citra navigationem pe-
cunia datur, periculo creditoris? quod affirmare non
veremur, modò excipiantur causę, quę in aleę speci-
em non cadunt. *l. 5. de nauit. sen. l. 2. C. eod.*

LXIII.

Nec infrequentiori calculo differitur: An casibus
supra

supra exceptis rectè adijci possit ac debeat, si quis pecunia eius, cuius tutelam gessit, clam in proprios usus conuerterit? Nos eiusmodi tutorem centesimas debere, cum communi tuebimur. *l. 7. §. 10. de admin. tut. l. 1. C. de usur. pup. Nou. 33.*

LXIV.

Adijci poterit illa quæstio. An centesima quoq; obtineat in Antichresi expressè contracta? hoc est cum creditor pignore utitur in vicem usurarum: In iusta quidem Antichresi, & in fraudem legitimæ usuræ contracta videri posset, propter incertum tamen fructum leges id concedere ex l. 17. C. h. t. probare conatur Balduinus.

LXV.

Sic incertitudo futuræ æstimationis propter euentum varium facit, ut sustineatur contractus: puta si dicatur, vendo tibi hodiè in natiuitate Domini triticum, & mihi solues, quantum venditur mense Maio.

LXVI.

Aliter tamen si dicatur: Solues eo pretio quo plus venditur, in principio, aut medio, aut fine mensis Maij, quia usura est aperta:

Ex his intelligitur, quem usuris modum Iustinianus statuerit.

LXVII.

Hac nostra tempestate, usuræ quincunces in Imperio Romano indifferenter omnibus sunt permittæ, *In des Reichs abscheid de Anno 1500. 1539. 1548. 1577. sub tit. von wücherlichen Contracten §. vnd nach dem, Gail. 2. obs. 5. n. 11.*

LXIX.

Maiores verò sunt prohibitæ, etiam sub pœna amissionis quartæ partis sortis, juxta reformationem
politix

politix Imperij Anno 48. August. promulgatam, cap.
von wücherlichen Contracten: prohibitum insuper, ne
executioni mandentur instrumenta obligationum,
maiores vsuras continentia, neue consensus super
eiusmodi obligationibus dentur.

LXIX.

Sic vsurarum vsurę exigi non possunt, etiamsi
per stipulationem in sortem redactę sunt, ne tennes &
inopes debitores, multiplicandis vsuris obrueretur, &
accessio accessionis permetteretur, contra l. 19 h. t. vel
commoda commodorum, quasi duplex vnus rei
merces.

LXX.

Poenam quoq; supra legitimum modum vsura-
rum, conuentionibus, in fraudem vsurarum, adijcere
non licet. l. 44. h. t. l. 15 C. eod. l. 13. §. 26. ff. act. emt.

LXXI.

Hinc pulchrum illud dubium: Vtrum fidejussor
supra quantitatem legitimam, vsurarum, pecuniam ac-
cipiens, & creditori soluens, eas vsuras à debitore re-
petere possit, & an ad illas consequendas executio
contra debitorem principalem ei concedenda sit?
Affirmatiua an defendi possit, disputationis monstra-
bit exercitium.

LXXII.

Illegitimarum vsurarum exactor, id quod plus
accepit, in sortem imputare tenetur (a): infamia nota-
tur (b): & extra ordinem criminaliter quandoq; pu-
nitus (c): quinimò manifestus vsurarius in cœmiterijs
sepeliri non debet. Clem. 1. de sepult. l. 26. de condit. indeb.
l. 102. §. f. de solut. l. 9. l. 20. 29 h. t. (b) l. 20. C. ex quib. caus. inf. cap.
infamz §. porro 18 3 q. 7. (c) l. 23. Stellionat.

Expositis causis & quantitibus, restat
considerare, quomodo extinguatur vsu-
ra.

C

Defi-

LXXIII.

Desinunt primò deberi usuræ, si de sorte iudicium actum sit, & iudicium sententia iudicis finitum: ad diem enim sententię, debitor usuras debet, post condemnationem, quamvis pecuniam adhuc debeat, usuras tamen non præstabit. *l. vii. C. de usur. rei jud. l. f. §. 1. b. t. l. 26. C. cod.*

LXXIV.

Deindè: si liberatus sit obligatione sortis debitor, propter quas usuras debebat, puta si pecuniam soluerit, vel si pecuniam offerens recusante creditore, totam pecuniam ob signauerit ac deposuerit, quod pro solutiõe est: aliter enim sola oblatione, aut partis ob signatione non exoneratur. *l. 41. §. 1. b. t. l. 6. l. 19. C. cod.*

LXXV.

Simili modo perimitur usura, quando manente sortis obligatione, creditor usuras expresse remisit, per nouationem aut acceptilationem. *l. 18. l. 27. de nouat. l. 52. de acceptilat. §. 1. quib. mod. toll. oblig.*

LXXVI.

Quid si tacitè remittat, puta si usuras stipulatus maiores, per aliquot annos minores acceperit, an maiores petens, exceptione taciti pacti submoueri possit? Quia usuris triginta annorum præscriptio obstat, pro affirmatiua disputare placet. *l. 13. b. t. l. 5. l. 8. C. cod.*

LXXVII.

Num idem obtineat in annuis re ditibus dubitari solet? Negatiuam, utpote veritati juris consentaneam, defendimus, id quod etiam Camera Imperialis probauit, teste Myns. & Gail. reiecta sententia Citramontanorum, quam defendit Schurf. Item Lipsenses & Vitebergenses, ut ex constit. Augusti p. 2. & 3. videre licet.

Deniq;

LXXIIX.

Deniq; usuræ, quamvis manente obligatione, nec quidquam, omitente creditore, tamen cum duplum sortis earum quantitas excreuerit, amplius exigi non possunt. *l. pen. & fin. h. l. 27. §. fin. C. eod. Nouell 121. cap. 2 & 160. cap. 1.*

LXXIX.

Colophonem thesibus imponat quæstio sanè non inelegans. An usura & fors principalis vno libello rectè petatur? Mynsingerus cum Chassanæo affirmatiuam recipit; Bartolo dissentiente, nos non poenitet affirmanti adstare, quod firmioribus rationum momentis præponderet.

Hypothesis cum quæstione.

Vsitatum est nostris temporibus in omnibus Instrumentis mutui, & aliorum contractuum, exprimi, quod debitor teneatur solvere, non tantum creditori & eius heredibus, sed etiam quibuslibet bonæ fidei possessoribus ac detentatoribus instrumenti, prout illa clausula communissima est: *Ich gerede vnd gelobe meinem Gleubiger / seinen Erben vnd Erbneimen / oder sonsten trewen Brieffsinhabern / auff N. Tag vnd Jahr zahlung zu thun / vnd wo ich es nicht thu / so sollen er oder sie gut fug vnd macht haben / meine Person vnd Güter / wo sie die antreffen / zu hemmen / zu kummern / vnd auffzuhalten.* Finge itaque quod instru-

C 2.

mentum

447.
mentum post terminum solutioni præfixum
existat in alterius manibus, quam creditoris,
quæritur, an iste tertius possessor instrumenti
executiui, volens manus iniectioe vti, peten-
do arrestationem bonorum, vel personæ de-
bitoris, sit audiendus, an vero teneatur ante o-
mnia probare titulum, ex qua videlicet causa
ad ipsum prouenerit hoc instrumentum,
aut saltem docere, quod bonæ fi-
dei possessor existat?

F I N I S,



Jura, Diss., 1573-1600

ULB Halle 3
003 609 308



S
Sb.







7104

DE VSVRISET
MORA CONCLVSI-
ONES
Quas 1598, 2
DEO DVCENTE ET DOCENTE
*tutoritate & permiffu Nobiliff. & ampliff. ordinis ICTorum in
illuftri & florentiffima Academia Ieneni.*
SVB PATROCINIO
Clariffimi & Confultiffimi Viri,
Dn. HIEREMIAE SETSERI
Silef. Philofophiae & V.I.D.
Publici exercitij gratia difcutiendas exhibet
BARTHOLOMAEVS GOLTZ
MARCHIVS.
*Habebitur difputatio in auditorio ICTo-
rum 28. Octobr. horis
confuetis.*

IENAE
Typis Tobiae Steinmanni, Anno 1598.



29

